

Operis pertinet; *Pars* enim VI. et ultima a *Libro* XXVIII. auspiciatur. Textus editioni *Maur.* T. I. a col. 853. probe consonat. Ad calcem totius Operis litera quadrata, quae etiam Librorum initia: *Explicit Expositio Beati Gregorii Pape Urbis Romae In Job. Libri XXX^a V. Per Moralitatem Explanati.*

Codici utrinque tegendo, quod dolendum, striatim scissae deferuiunt Membranae Seculi IX. quibus commissi erant *Augustini Tractatus in Iohannis Evangelium*, et quidem extrema *Tractatus* I. et Initium II. deprehendere licet; sed nempe culter ad perpendicularum columnas secuit.

CCCLXXVII.

R. 3168 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 178. f. maj. per duas columnas eleganter exaratus et coloribus illustratus idem Opus a *Libro* VI. ad XVIII. exhibet, adjuncto Syllabo omnium Textuum Biblicorum a *Genesi* usque ad *Apocalypsin*, quibus *Gregorius* in hac *Moralium* parte usus est. Codicem hunc hominis a Sacris catholicis alieni κτημα quondam fuisse docent, quae verbis Autoris L. 18. c. 48. n. 79. nobis fol. 167. p. 2. *Quam profecto sapientiam ille ueraciter agnouit, qui mediatori dei et hominum aliquem comparare sanctorum minime praesumpsit; ad-*

jecit in margine. Audi naeniam: *Ecce! Quare igitur sancti ut intercessores invocantur, aut omnino invocantur ullo modo? Nonne hoc est illos et illas æquiparare Christo Mediatori inter Deum et homines? Nimis pertinaciter et libenter erramus, et Deo honorem suum Christoque blaspheme detrahimus. Quid igitur notasset bonus Vir ad C. XLII. Jobi v. 8. Job autem servus meus orabit pro vobis. Faciem ejus suscipiam &c. si Codex eousque pertinuisset?*

CCCLXXVIII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 565 faltem XI. Folior. 157. 4. min. eleganter perscriptus, rubro flavoque distinctus, optime servatus, et quondam *Job. Fabri Praefulis* nostri complectitur *Επιτομην Librorum XXXV. Moralium in Job. B. Gregorii M. Dum Monachi Mauriani* Patris hujus editionem parent, nulli pepercerunt operae in conquirendis monumentis, quae aliqua ratione referrentur ad *Gregorium*, atque in his T. I. *Parris*. 1705. f. in *Praef. ad Libros Moralium* recensuerunt *Epitomatores* VII. Verum *Fortuna Libraria* Nostrum illis invidit, eapropter curatius hic tanquam ἀνεκδοτον, imo ignotum describendum. Primo dabo Prooemium. *Prooemium uerborum sequentium.*

Mell) fluenti) uerba sequenti) suscipe lect)

Reic) lubric) querito celic) splendifica c)

Ggg 2

Huius